



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 1. & . Vtrum Christo proprium sit esse Mediatorem Dei & hominum? &
secundum vtram naturam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

QVÆSTIO XXVI.

De Officio Mediatoris.

In Duos Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. & II.

Vtrum Christo proprium sit esse Mediatorem Dei & hominum? Et secundum vtram naturam?

I Mediator dicitur dupliciter.

Notandum est, Dupliciter aliquem dici Mediatorem.

1. Secundum substantiam.

Primò, Secundum substantiam; nempe quando in aliquo, duo substantialiter coniunguntur. Sic Christus dicitur Mediator, quia eius personalitas coniunxit substantialiter diuinam & humanam naturam; & ipse est instar medij particeps vtriusque extremi per substantiam, scilicet diuinæ & humanæ naturæ.

2. Secundum modum, idque tripliciter.

Secundò, Qui est Mediator secundum operationem. Nempe qui se medium ponit inter duos, vt eos dissidentes conciliet. Quod tripliciter potest fieri in proposito. Primò, Per modum internuntij vltro citroque pacta & conditiones partium referendo. Secundò, Supplicando alteri parti pro altera. Tertio, Satisfaciendo alteri pro altero.

Omnes has rationes conueniunt Christo.

Omnes hi modi conueniunt Christo. Ipse enim conditiones pacis inter Deum & homines proposuit, vnde dicitur Angelus Testamenti, Malach. 3. & Mediator Noui Testamenti ad Hebræos 9. Ipse est Aduocatus noster 1. Ioan. 2. Interpellans pro nobis, ad Roman. 8. Denique ipse pro nobis perfecte satisfecit.

Duo priores modi etiam conueniunt alijs. Nam Moyses erat Mediator inter Deum & homines, orando pro hominibus, & Leges diuinas ad ipsos deferendo. Vnde Deuteron. 5. ait: Ego medius & sequester fui inter Deum & vos illo tempore. Et ad Galat. 3. Lex dicitur data per Angelos in manu Mediatoris, id est, interueniente Moysse. Tertius modus soli Christo conuenit.

Errores duo de Mediatore Christo.

Notandum Secundò; Esse duos errores de hac Quæstione. Prior, Humanitatem Christi in abstracto esse mediaticam, non autem personam Filij Dei. Ita quidam Hæretici in Polonia. Alter est, Christum esse Mediatorem secundum vtramque naturam; ita vt per vtramque munus Mediatoris exerceat. Ita Caluinus & Lutherus. Nam duplicia faciunt opera Mediatoris; quædam quæ per solam humanitatem exercentur, etsi à diuinitate habeant efficaciam; vt orare, pati, mori; quædam quæ per solam diuinitatem, vt remittere peccata, illuminare mentes, operari miracula, offerre sacrificium.

Ratio perfecta Mediatoris est propria Persona diuina, que est Christus homo.

Dico Primò; Officium & munus perfecti Mediatoris, est proprium, non humanitati seorsim, sed personæ diuinæ, quæ est Christus homo. Est sive tenenda.

Probatur, Quia actiones sunt suppositorum:

in Christo autem solum erat suppositum diuinum. Secundò, Quia præcipuum Mediatoris officium erat perfecte satisfacere diuinæ iustitiæ pro nobis; atqui non poterat esse satisfactio perfecta nisi esset personæ diuinæ, vt supra ostendimus.

Tertio; Quia hæc est communis sententia Patrum, qui docent Christum ideo vocari ab Apostolo Vnicum Mediatorem, quia solus diuinæ & humanæ naturæ est particeps; volentes ostendere hominem non posse esse perfectum Mediatorem, nisi sit persona diuinæ, quæ per humanam naturam operetur. Ita Ambros. & Patres Græci in illum locum Apostoli 1. ad Timoth. 2. v. 5. Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS. Cyrillus lib. 12. Thesauri cap. 10. & Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 2.

Dico Secundò; Christus tamen non fuit Mediator secundum diuinam naturam, sed secundum humanam; id est, per solam naturam humanam functiones Mediatoris obiuit & recepit.

Non tamē fuit Mediator nisi secundum naturam humanam.

Probatur ex Scripturis 1. Timoth. 2. v. 5. Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS. Vbi Apostolus ait: Homo Christus IESVS, non Deus Christus IESVS, vt designet naturam, secundum quam est Mediator; vt notauit D. Aug. lib. 2. De peccato originali cap. 28. Item distinguit Mediatorem à Deo. Neque dici potest Deum accipi pro solo Patre; vt volunt Hæretici: quia Filius nos toti Trinitati reconciliauit, vt docet Augustinus Concione prima in Psal. 29. ostendens illud Vnus Deus significare Trinitatem, & Christum esse Mediatorem inter Trinitatem & peccatores. Similiter Chrysost. Oecumenius, & Theophilaëtus dicunt per Vnus non excludi Filium, sed Deos gentium. Act. 20. v. 28. In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Atqui in effusione sanguinis erat præcipuum munus Mediatoris; per hanc enim nos reconciliauit - ergo obibat munus Mediatoris per naturam humanam.

Secundò Probatur ex Patribus. Vide D. Augustinum tract. 82. in Ioann. & lib. 10. de Ciuitate c. 20. Cyrillum lib. 11. in Ioan. c. 7. & in Apologetico ad 10. Capitulum. Et alios supra indicatos in illum locum Apostoli.

Tertio, Ratione. Primo, Quia officium Mediatoris includit ordinem ad alterum, naturam vel supposito distinctum; sicut orare, satisfacere, agere aduocatum: nemo enim seipsum orat, vel sibi satisfacit. Sed Christus, vt Deus, nullo modo distinguitur, ab eo, qui oratur, cui satisfacit, & sacrificatur: ergo secundum illam naturam non est Mediator. Confirmatur, Quia nemo est Mediator respectu sui ipsius; sed quia aliquem reconciliat alteri: ergo Christus solum est Mediator per humanam naturam, nam per hanc solum distinguitur à seipso quæ Deus.

Officium Mediatoris includit ordinem ad alterum naturam vel supposito distinctum.

Secundò; Si Christus est Mediator secundum naturam

naturam diuinam: ergo tota Trinitas est mediator; nam natura diuina est communis tribus.

Tertiò, Christus tantùm per illas actiones est Mediator, per quas meruit & satisfecit: sed meruit & satisfecit solùm per actiones naturæ humanæ: ergo &c.

⁴ *Affiones Mediatoris.*
Dices; Docere, facere miracula, sacrificare, pacificare, reconciliare, remittere peccata, dare Spiritum sanctum, sunt functiones Mediatoris; sed Christus has obiuit per naturam diuinam: ergo &c.

⁵ *Dupliciter aliquid fit.*
^{1.} *Ex principali auctoritate.*
Respondeo; Sacrificare nullo modo esse functionem diuinitatis. Nam Sacrificium offertur superiori in testimonium summi principatus. Unde omnis Sacerdos minor est eo, cui Sacrificium offert. At diuinitas non potest habere superiorum. Reliquæ autem functiones dupliciter possunt fieri: Primò, ex principali auctoritate: & sic docere, facere miracula, reconciliare, remittere peccata, dare Spiritum sanctum, non sunt functiones Mediatoris: alioqui Pater & Spiritus sanctus essent Mediatores: nam Pater docet, Ioannis 6. v. 45. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Facit miracula, Ioannis 14. v. 11. Pater in me manens ipse facit opera. Reconciliat, 2. Corin. 5. v. 19. Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi. Remittit peccata, Luca 23. vers. 34. Pater, dimitte illis. Denique dat Spiritum sanctum, Ioannes 14. vers. 16. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Secundò, possunt fieri hæ functiones ex commissione, & ministerio: & sic conueniunt Christo per humanam naturam, suntque functiones Mediatoris.

^{2.} *Ex commissione.*
Aduertendum est; Etsi solus Christus sit principalis & perfectus Mediator, & hoc modo vnicus; tùm, quia ipse solus perfectè pro nobis satisfecit; tùm, quia omnes per illum sunt reconciliati, ipse autem per seipsum; tùm denique, quia ipse non solùm munere, sed etiam substantiâ est mediator; potest tamen hoc nomen alijs conuenire inferiore modo, & per quandam participationem muneris Christi: sicut etiam Apostoli dicuntur Lux mundi, Magistri Ecclesiarum, fundamentum Ecclesiæ, quæ tamen Christo sunt propria. Sic Moyses Deuter. 5. & ad Gal. 3. vocatur *sequester & medius inter Deum & populum, & Mediator*, quia intercedebat orâdo, & sacrificâdo pro populo, & leges diuinas illis annuntiando. Simili modo, Sancti dicuntur nostri *Aduocati & Mediatores*. Cyrillus li. 12. Theofauri c. 10. dicit Moysen, Prophetas, & Apostolos omnes fuisse Mediatores. Nazianzenus oratione, quam habuit coram Gregorio Nysseno, *Martyres vocat nostros apud diuinitatem Mediatores*.

^{3.} *Mediatoris, inferioris mod.*
Sic Beata Virgo dicitur *Aduocata & Mediatrix nostra*. S. Ephraim oratione ad B. Virginem: *Aue Mediatrix gloriosissima, Aue vniuersi terrarum orbis reconciliatrix*. Anselm. lib. de Excellentia Virginis & Mediatrix. cap. 9. *Quis ista perpendens, estimare queat quâ laude digna sit, quæ tantorum beneficiorum sola præ cunctis effici meruit Mediatrix*. Cap. 12. vocat illam *Reconciliatricem*; quod idem, vel amplius valet, quam *Mediatrix*. D. Bernard. serm. in illud Apocal. *Signum magnum apparuit in Cælo &c.* Opus est Mediatore ad Mediatorem illum, nec alter nobis vtilior, quam Maria. Et infra: *Age gratias ei, qui talem tibi Mediatrix benignissimâ miseratione prouidit: omnibus misericordia sinum aperuit, ut de eius plenitudine omnes accipiant*. Et infra: *Iam te Mediatrix sibi apud Solem, iustitiâ constitutam interpellat*. Ratio est; quia hæc nomina non solùm vsurpantur in sua perfectissimâ significatione; sed etiam inferiore & imperfectiore modo: quomodo etiam dicitur *Vita, Spes & Salus nostra*.

Moyses, Sancti

B. Virgo Aduocata & Mediatrix nostra.



INDEX